

TERMINUS est signum rei simplici apprehensione perceptae, ut *Deus, homo*. Per ordinem ad propositionem Aristoteles definivit illud : Id in quod resolvitur propositio tanquam in praedicatum et subiectum.

TERMINI	{	vi significandi....	{	significantes per se—categorematici non per se significantes—syncategorematici univoci, aequivoci, analogi
		secundum objecta..	{	concreti et abstracti absoluti et connotativi simplices et complexi
	{		extensione rei significatae	{ proprii et communes singulares, particulares, universales et collectivi.

Terminus univocus dicitur de pluribus rebus secundum eandem omnino rationem ; v. g. humanitas univoce praedicatur de *Socrate* et *Platone*, sicut *animalitas* de homine et bove.

Terminus aequivocus, ut ipsa vox innuit, de pluribus dicitur secundum rationem omnino diversam, v. g. vox *gallus*, quae hominem aliquem et animal aequè designat.

Terminus analogus medium locum occupat inter terminos univocos et aequivocos ; de pluribus enim dicitur nec secundum rationem omnino eandem, nec omnino diversam, sed secundum quamdam similitudinem sive analogiam : v. g. *sanitas* praedicatur de corpore, de medicina et pulsu ; eo quod sanitas inest corpori tanquam subjecto, reficitur a medicina, et pulsus motibus indicatur.

Terminus simplex est unicum vocabulum ideam aliquam, sive simplicem, sive compositam, exprimens ; ut *ens, domus*.

Terminus complexus est qui pluribus vocabulis unam ideam compositam effert ; ut *homo prudens*.

SUPPOSITIO generatim est usus termini pro re aliqua. Ejusdem porro vocis diversa potest esse suppositio,